

12
Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM JURIDICAM

DE
EO, QUOD JUSTUM EST
CIRCA

TESTES

IN
POSSESSORIO SUMMARISSIMO

PRAESIDE

JO. GODOFREDO
KRAUSIO, D.

INSTIT. IMPER. P.P. CURIAE PROVINCIALIS
SCABIN. ET FACULT. JURID. WITTEMBERGENSIS
JUDICII ITEM PROV. INFER. LVSAT.
ASSESSORE

AD DIEM MARTII M DCC XXIX

IN AUDITORIO JCTORUM

HORIS CONSVETIS PVBLICAE CENSURAE SUBJICIT
RESPONDENS

JOANNES TOBIAS DOERINGIVS

LAUBA-LUSAT.
PHIL. ET J. U. CULT.

WITTEMBERGAE, LITERIS GERDESIAE, VIDVAE.

Diss. jur. civ.

521,30

THESE

THESE

POSSessorio SUMMARISIMO

JO. GODOFRIDO

D. D. KRASUSIO

INSTIT. MED. P. P. CURIAE PROVINCIARIS
SCABINUS ET FACULT. JURID. WITTEMBERGENSIS

INSTITUTIONUM

JOHANNIS HORTII DOBINSKII

MDCCCLXXII

WITTEMBERGAE



DE
EO, QUOD JUSTUM EST
CIRCA
TESTES
IN
POSSESSORIO SUMMARISSIMO.

I.



Judiciorum variae promiscuaeque dantur divisiones. Ex his infimo loco ea collocanda non est, quae *judicium in petitorium & possessorium* distribuit. Hujus enim divisionis naturam cognitam habere perspetamque, permultum refert ad decus & laudem prudentis causarum Patroni. Tanta namque est inter petitorium & possessorium, quanta maxima esse potest, distantia.

Judicia in
Petitoria
& Possessoria
dividuntur.

Utilitas
hujus
divisionis.

LUD perdifficiles probandi rationes, plenasque periculorum, exposcit, instituta in primis actione rei vindicatoria; Hoc faciliorem, minusque arduam, rem persequendi viam indulget. Quam ob rem animadvertendum, judicandumque ex circumstantiis, quemadmodum arbitratur Imperator JUSTINIANVS in §. 4. *J. de Interdictis*, & svadet Ictus GAIUS in L. 24. *ff. de R. V.* an interdicto quodam nancisci possessionem queamus, siquidem, altero possidente, petere laboriosum; rem vero possidere, & eo adigere adversarium, ut petitoris onere perfungi necessum habeat, & commodius est, & tutius, ut ne addam utilitates, quas secum varias confert possessio, Vid. *Cap. 18. X. de restit. spol. L. 11. C. de petit. hered.* DN. WERNHER *Sel. Observ. Forens. P. 1. Obs. 309. & in Supplem. nov. ad P. 4. Obs. 43.*

II.

Petitoria
quæ sint?

Quæ pos-
sessoria?

Petitoria, ut a nobis in *Prolegomenis SYNOPTICAE TRACTATIONIS de PROCESSU JUDICIARIO* §. 14. traditum est, omnia jura concernunt, quæ præter possessionem actori competunt, utut strictiori in sensu petitorium de realibus tantummodo actionibus, quæ excepta possessione moventur, prædicari soleat. Contra vero possessoria possessionem tantum respiciunt, iisque de hac vel acquirenda, vel retinenda, vel recuperanda, laboratur, L. 14. §. 3. *ff. de except. rei jud. L. 24. ff. de Rei Vind. §. 4. J. de Interdict.* Haec possessoria jure Romanorum per specialia Praetorum Interdicta instituebantur, Praetore rogato, ut jubendo, vel vetando, interdiceret per certas formulas, quas

quas refert BRISSENIUS de *form. Vet. p. 388. sqq.* In petitoriis vero judiciis actor, mediante actione, agebat, rem, v. c. esse suam, sibi deberi aut ex mutuo, aut alia ex causa, iudiciumque ac iudicem implorabat, Conf. CAR. SIGON. de *Judic. L. 16. p. 435.*

III.

Possessorium denuo in *Ordinarium & Summarium* distinguitur. ILLUD agit de possessione qualificata, quemadmodum loqui amant Practici, dum vel titulo gaudet, vel antiquior est; Hoc autem in possessione simplici, eaque momentanea, nulla qualitate praedita, sed simplici actu possessorio fundata, occupatur. Hoc summarium possessorium alias etiam vocatur *summarissimum*, propterea quod in eo sine longi subsellii iudicatione & mora, facti veritate probabiliter tantum inspecta, celeriter, & levato quasi velo, causa agitur, GAILIUS, *Lib. 1. Obs. 7.* Dicitur etiam *momentaneum*, seu *momentarium*, a temporis brevitate, secundum ISIDORUM, *Etymolog. L. 5. C. 25.* quod mora & tarditas abesse debet, repudiatis profusis demonstrandi rationibus, inque possessorium ordinarium, aut proprietatis iudicium, rejectis. Accedit, quod victus hoc iudicio alterum in possessorio ordinario, aut petitorio, vincere denuo possit, ut tali pacto in possessorio summario obtenta victoria non diu duratura videatur. *Asmarium* deinde quibusdam nominatur, ob simplicem possessionem, quae in eo sufficit. Ut enim asinus, solo incumbens, suae possessionis nullam reddit causam; sic is, qui de praesenti possi-

Possessorium iudicium in ordinarium & summarium distinguitur.

Variae Possessorii summarii denominationes.

possidet, hac sola ratione, quod possideat, tuendus.
 DN. de BERGER *Elect. Proc. Possess. §. 2.*

IV.

Olim no-
 mine vin-
 diciarum
 veniebat.

Antiquis hoc iudicium dictum fuit *Vindiciae*, seu *lis Vindiciarum*. Haecce *lis Vindiciarum* est, quum rei controversae fiduciaria petitur possessio. Eodem enim modo in possessorio summarissimo hodie pronuntiatur, quo fuit olim de sola possessione in iudicio *Vindiciarum* pronuntiatum. GERMANI & BELGAE *decretum provisionale*, vel *fiduciarium*, aut *depositariam possessionem* appellant, GAIL. L. 1. Obs. 5. num. 3. GALLIS dicitur *Recredentia*, seu casus novitatis, MENOCH. *Remed. ult. rein. possess. numer. 5.* HISPANIS vero *Interim*, quia interim tantum alteri tribuitur possessio, donec in ordinario possessorio accuratius disquiratur, COVARRUVIAS *Pract. Quest. C. 17.* LUSITANI illud denotant per auxilium chartae tuitivae regalis, BERNH. GREVAE, L. 1. Concl. 7. num. 2. Ab aliis etiam dicitur *iudicium ex officio iudicis*, cum mediante officii iudicis imploratione competat, MENOCH. d. 1. A nonnullis praeterea vocatur *Processus informativus*, item *possessorium extraordinarium*, GAIL. L. 1. Obs. 5. num. 3. & Obs. 7. num. 1. quandoquidem *Processus* extra ordinem conficitur.

V.

Non est
 species In-
 terdicti, uti
 possidetis.

Neutiquam vero hoc possessorium summarium speciem *interdicti uti possidetis* constituit, licet monente ita

te ita *POSTIO Obs. 3. numer. 8. seqq.* similitudinem quandam cum eo habeat. Nec est ex *Jure Civili*, ceu interdictum uti possidetis, sed ex moribus potissimum originem trahit, & in *Ord. Cam. Part. II. Tit. 21. §. Ob auch in berührten Fall 20. ut & aliis Ord. Judicialibus*, quo pertinet simul *Ord. Proc. Sax. Rec. in Additam. §. 19. seqq.* probatum receptumque reperitur, *Conf. Decisio Elect. Sax. Nov. 1. DN. BOEHMER de Vero Usu Remedii Possess. Ordin. & Summ. Cap. 3. §. 2. seqq.* Differt etiam in eo ab interdicto uti possidetis, quod hoc per *l. 1. pr. ff. uti possidetis*, requirat, ut actor nec vi, nec clam, nec precario possideat; cum contra in summarissimo possessorio haec vitia non attendantur, sed ille, qui actum simplicem possessionis docet, in possessione tamdiu defendatur, donec adversarius aut in possessorio ordinario, aut petitorio, vel meliorem possessionem, vel aliud quoddam jus, idque melius, adduxerit, *DN. de BERGER Elect. Proc. Poss. 1b. 22. LUDOVICI Einleitung zum Civil-Process Cap. II. §. 1. & 21.*

VI.

Cum vero possessorium summarissimum modicum tantummodo praejudicium involvat, quod aut in possessorio ordinario, aut petitorio facile reparari potest, *GAIL. Lib. 1. Obs. 7. num. 6. MENOCHIUS Remed. ult. retin. possess. num. 34.* quin imo hodie in Saxonia per *Ord. Proc. Sax. Rec. in Additam. §. 20.* expressis verbis dispositum, daß derjenige / so in possessorio summarissimo geschützt wird / da er nachgehends in possessorio ordi-

Possessorium summarissimum modicum praejudicium infert.

ordinario oder petitorio verliehret/ nichts destoweniger/ wenn er sonst nichts wieder vor sich hat/ pro malae fidei possessore gehalten/ und alle Fructus perceptos & percipiendos, auch die durch das possessorium summarissimum so wohl/ als andere verursachte Schäden und Unkosten/ zuerstatten schuldig sein solle/ atque adeo etiam, quemadmodum DN. BOEHMER in *Dissert. de Vero Usu Remedii Possessorii Ordinarii & Summarii Cap. III. §. 2. seqq.* pluribus tradit, illud in primis pacis publicae tuendae causa, atque, ut ne ad arma deveniant partes, introductum, & vel ideo in memorata *Ordinat. Camerali* approbatum; tum etiam ea de causa in hoc Processus genere varia, quae a reliquis causas tractandi modis in iudicio recedunt, recepta sunt, atque comprobata, quae eo potissimum tendunt omnia, ut quam celerrime, sine mora & tarditate fiant cuncta, & interea possessor in possessione, taliter qualiter demonstrata, defendatur.

Remotis omnibus ambagibus in eo proceditur.

VII.

De singularibus intuitu testium notandis hic tantummodo agendum.

Quae vero in Possessorio summario obveniunt singularia, ut hic adducamus omnia, fuseque tractemus, nec temporis patitur, nec instituti, ratio. Namque ea tantum, quae intuitu testium notatu nobis digna visa sunt, hic tradere animus est. Quae cum ita sint, eadem, qua fieri potest, brevitatem, docere, & quid aut jure de iis praescriptum legimus, aut usu receptum comperimus, proponere allaborabimus.

§. VIII.

VIII.

Quod in aliis Processuum generibus non, nisi jurato, testi fides habeatur, atque a juramento omnis testimonii vis ac robur pendeat, pervulgata res est, *An testes debeant esse jurati.* perspecta, cognita, & judicata, L. 9. ibique BRUNNEM. num. 1. C. de testibus L. 18. & 19. C. eod. C. 1. Caus. 22. Qu. 1. Cap. 5. 17. & 51. X. de testibus. Atque adeo hoc verum est, ut non in Ordinario tantum Processu, & Summario, ubi quidem non tam stricte juris servari solennitates novimus, testes juramento obstringi oporteat, secundum communem Doctorum doctrinam, & fori experientiam, vid. HILTROP. in Proc. Jud. P. I. Tit. 4. num. 61. UMM. ad Proc. Jud. Disp. 16. th. 9. numer. 62. BRUNNEM. de Jur. Eccles. L. 3. Cap. 4. §. 13. Hujus rei causam Pontifex in Cap. 26. X. de jurejur. refert hominum malitiam, eaque accrescente factum esse, censet, ut ne simplici assertioni, vel negationi, credatur, Confer. PUFENDORF. J. N. & G. L. IV. Cap. II. §. 2. Hinc, nec in Summarissimo Possessorio testibus, nisi juratis, fidem habendam esse, haud pauci contendunt, FINCKELTHUSIUS in Observ. Pract. Obs. 32. num. 8. seqq. & Obs. 117. num. 10. LUDOVICI Einleitung zum Civil-Process Cap. XI. §. 8. PFANKUCH de Summariss. Possess. L. 2. C. 13. num. 2. seqq. qui, hanc doctrinam in Camera Imperiali observari, attestatur. Alii contra in Possessorio Summario testes injuratos etiam admittendos esse autumant, propterea, quod in eo leviores probandi rationes sufficiant, testesque admittat judex sui saltem informandi causa, quo in

B casu

casu juramentum cessare judicant CROTUS *de testi-*
bus P. VII. & CARPZOV. L. I. R. II. num. 8. Confer.
 idem CARPZOV. P. II. Const. VII. Def. 15. & in Proc.
 Tit. XIII. Art. IV. num. 68. Tit. XXIII. Art. I. num. 36. MER-
 CKELBACH apud KLOCK Vol. IV. Conf. III. n. 32. ME-
 VIUS P. IV. Dec. 293. num. 4. & Conf. 66. num. 20. BRUN-
 NEM. in Proc. Civ. Cap. 20. n. 61.

IX.

Quid extra
Saxoniam?

Sed quid? si casus *extra Saxoniam*, atque ubi pecu-
 liari lege provinciali, aut consuetudine, aliud in-
 troductum non est, contingat, concedimus facile, nec
 in Possessorio Summarissimo testi injurato fidem ha-
 bendam esse, cum exceptiones a regula fingendae non
 sint. Quin imo ipse CARPZOVIVS in *Tract. de Inhi-*
bit. Cap. 5. num. 62. inficiari nequit, judicem tutius age-
 re, si testimonium jurejurando constringendum cu-
 ret. At enim vero in *Saxonia* haec controversia a Di-

Quid in Sa-
xonia obti-
neat?

vo Saxoniae Electore JOHANNE GEORGIO II.
 piissimae memoriae in *Decisione Noviss. I.* facta distin-
 ctione, sublata est, quandoquidem, videndum, ibi di-
 citur, num periculum armorum sit praesens, nec
 ne? Si *prius*, duobus testibus injuratis fides tribu-
 enda, *sin posterius*, non, nisi iis ad jusjurandum adactis,
 eoque interposito, creditur, ita tamen, ut hoc in ca-
 su unius dictio sufficiat, id quod in *Ordin. Proc. Sax.*
Rec. & quidem in Additam. §. 20. denuo comproba-
 tum legitur. Interea notamus ex GREVIO *Lib. I.*
Concl. 7. n. ult. id saltem locum invenire, indiciis in

con-

contrarium non existentibus, quae, si adsint, unum testem, licet conceptis verbis juraverit, non sufficere, laudatus Auctor existimat. Alii addunt, si sufficere debeat unus, hunc omni exceptione majorem esse oportere, DN. WERNHER *P. 9. Obs. 95.* PROSPER. FARINAC. *de testibus Qu. 67. C. l. num. 33.* CAROCC. *sing. Dec. Cas. 126. num. 21.*

X.

Praeterea simplex, vel, ut in Praxi dicitur, summaria, sufficit testium responsio, eaque ad Articulos haud facta, atque id eo magis, quod alias in Processu summario, in specie ita dicto, testium responsio ad Articulos non desideratur, sed summariter facta sufficit, DN. WERNHER *Sel. Obs. For. Part. I. Obs. 128.* Conf. DN. de BERGER *Elect. Disc. For. Tit. XX. Obs. I. Not. 7. p. 446.* neque requiritur, ut ante examen institutum juramentum, testibus alias praescriptum, praestetur, sed satis est, si finita responsione, atque adeo ne quidem in continenti, jurejurando assertionem corroborarent, B. HORN. *Class. XII. Resp. 104. num. 5.* Interim secundum formulam, quae in judiciis recepta est, jurare tenentur, nec sufficit formula, sub jurejurando, quo domino sunt obstricti, bey dem Eyd und Pflicht/ womit sie ihren Herrn zugethan sind / B. MENCKEN *Tract. Synopt. Proc. Disp. XII. th. II. veletiam, bey Gräfflichen/ Herrlichen oder Adelichen Ehren und Glauben/* MARTINI *ad Ord. Jud. Sax. Tit. XX. §. 3. num. 76. seqq.*

An testes ad Articulos sint examinandi?

An ante examen institutum jurare debeant?

XI.

Testimo-
nium in
scriptis
non suffi-
cit.

Neutiquam vero testimonium in scriptis factum, licet clausula juramenti adjecta, regulariter sufficere judicamus, tum, quod testes viva voce respondere tenentur, *CAN. testes, Caus. 3. Qu. 9.* ANTON. FABER *in Cod. L. 4. Tit. 15. Def. 52.* SETSER. *de juram. L. 4. C. 12. num. 23.* & testimonia, in scriptis facta, in *Can. 3. Caus. 5. Qu. 2. & C. 15. Caus. 3. Qu. 9.* prohibita inveniuntur, tum, quod scriptura privata, nisi fuerit recognita, fidem haud facit, DN. LUDOVICI *Einleitung zum Civil-Process Cap. III. §. 12. seqq. & Cap. XVII. per tot.* nisi testis mutus sit, ideoque respondere nequeat, FARINAC. *de testibus Qu. 80. num. 39.* FRANZK. *L. II. Res. 1. num. 48.* SETSER. *de juram. L. 1. Cap. 9. num. 4.* qui de Surdo idem affirmat.

XII.

Quomodo
testes sint
examinan-
di?

Deinde, si testium dictioni fides habenda sit, requiritur, ut secreto & clam, partibus, & iis, qui una contestantur, remotis, examinentur, *L. 14. C. de testibus ibique BRUNNEM. num. 4. Nov. 90. Cap. 4. Cap. 62. X. de testibus HUBER Praelect. ad ff. Tit. de Testibus §. 24.* DN. de BERGER *in Resol. LAUTERB. d. 1. verb. examinat,* DN. GRIEBNERUS *in Princ. Proc. Jud. L. 1. C. 3. Sect. 2. §. 5.* Quae doctrina, uti justa, sufficientique ratione nititur, dum testes & liberius suam dicunt sententiam, & alter alterius verbis informari nequit, ita non dubitamus, hoc intuitu examinandorum testium, qui in possessorio summarissimo fidem facere debent, observari oportere.

XIII.

XIII.

Nec est utile tantum, sed interdum etiam pernecessarium, ut eo in loco, qui venit in disceptationem, testes examinentur. Saepius enim accidit, ut ratione loci, de quo dicturi sunt testimonium, mentem suam minus sufficienter exponant, judicemque dubium relinquant, quod tamen, si ipso in loco praesentes sint, ut locum, de quo lis est, digito significare possint, facile evitare licet. Quamobrem fit minime raro, ut, ubi testes, antea extra locum litigiosum examinati, dubie responderunt, in locum praesentem deducantur, denuoque ibidem rogentur. DN. GRIEBNER in *Princ. Proc. Jud. L. 1. C. 3. S. 2. §. 5. lit. a.* Tantum etiam abest, ut in summarissimo possessorio, testes adhuc semel examinari, prohibitum sit, ut potius, eam ob causam interlocutorias fieri sententias, quotidie comperiamus, quemadmodum id praejudicio confirmat DN. WERNHER in *Sel. Obs. For. P. 1. Obs. 119.* Confer. ORD. JUD. SAX. REC. Tit. XXVIII. §. 1. ubi sic: und bleibt dem Richter frey / wenn er es der Nothdurfft zu seyn befindet / dergleichen Besichtigung ex officio entweder bey der Zeugen Verhör anzuordnen / oder auch / ehe das Definitiv - Urthel zu seiner Rechts-Krafft gelanget / darauf zu interloquiren / darbey demselben iedesmahl zugleich / auf wessen Unkosten solche geschehen solle / zu determiniren oblieget.

Utile, imo haud raro necesse est, ut testes in loco litigioso depo-
nant.

XIV.

Ipsa testium attestatio specifica sit, oportet, atque ad actus possessorios speciales directa; generalis, incerta,

Non sufficit generalis & indefinita testium depositio.

certa, ac indefinita, vel si testes de actibus ambiguis tantum testimonium edant, minus sufficit, B. LYNCKER *Dec. 183.* Monente itaque DN. de BERGER in *Elect. Proc. Poss. th. 28.* nihil probant testes, si v. g. in possessione pascendi juris dixerint, der Gerichts-Herr habe ieder Zeit auf dem streitigen Orth gehütet/ aut intuitu operarum rusticarum, vel solutionis laudemii, alle Unterthanen haben die Dienste gethan/ ihre Kinder ohne Unterscheid/ ob sie derselben bedürfftig gewesen/ oder nicht/ zum Dienste gestellet/ die Lehns-Wehre entrichtet/ vel in possessione juris prohibendi, es wäre dergleichen niemahlen gestattet worden/ Kläger hätten dergleichen alleine gethan/ niemand hätte sich dessen auffer denen Klägern unterzogen/ quae quidem res aliter se habet, si alia concurrunt adiutoria, quae generali testium testimonio opitulantur, idque suffulciunt, atque declarant.

XV.

In probanda possessione census aut servitorum qualis deposito requiratur?

In specie vero, quod probandam possessionem, vel quasi, juris census, & servitorum, attinet, necessum est, ut certa quantitas & qualitas determinetur, quemadmodum hoc illustrat DN. de BERGER *P. 2. Resp. 5.* ideoque strictissimae semper interpretationis est, neque de casu ad casum porrigi debet, DN. WERNHER *Sel. Obs. For. P. 5. Obs. 54. num. 1.* Quae cum ita sint, possessio, vel quasi, juris exigendi a subditis sumtus, in Inquisitionem factos, intuitu Civium, eorumque liberorum, exercita, ad extraneos extendenda non est,

est,

est, DN. WERNHER *d. Obs. 54.* nec possessio juris cu-
 jusdam contra nonnullos ex civitate, aut universitate,
 acquisita, statim adversus reliquos omnes in universi-
 tate obtenta intelligitur, DN. de BERGER *Resolut. LAU-*
 TERBACH. *Tit. de acquir. vel amitt. possess. verb. juris est*
 &c. nisi fortasse is, qui jurisdictionem exercet, omni-
 bus indixerit praestationem servitiorum, laudemiive.
 Hoc enim si factum, acquiritur, nonnullis obtempe-
 rantibus, caeteris non contradicentibus, contra uni-
 versos possessio, uti docet laudatus DN. de BERGER
c. l.

Possessio
 juris con-
 tra univer-
 sitatem
 quomodo
 probanda?

XVI.

Nec possessio, vel quasi, juris affirmativi, statim
 possessionem, vel quasi, juris negativi compre-
 hendit, DN. de BERGER in *Oecon. Jur. Lib. 2. Tit. 6. th. 1.*
Not. 3. p. 546. Etenim qui possessionem, vel quasi, ju-
 ris pascendi, lignandi, aut piscandi exercuit, non sta-
 tim in possessione, vel quasi, juris prohibendi consti-
 tutus est, DN. de BERGER *Elect. Proc. Possess. th. 45.*
 DN. WERNHER *Sel. Obs. For. P. 9. Obs. 41.* Atque
 hanc ob causam laudatus DN. WERNHER *P. I. Obs. 87.*
 errorem nonnullorum Advocatorum non immerito
 carpit, quum, Clientum suorum, qui alios ab usu ali-
 cujus juris exclusos volunt, causam in possessorio sum-
 marissimo agentes, articulos, ad quos responsuri te-
 stes, officio satis se perfunctos rati, sic effingunt, quod
 Clientes sui tale jus haecenus soli exercuerint, inde-
 que judicari putant, alios ab ejus exercitio arcendos
 esse, qua tamen in re per imprudentiam valde deci-
 piuntur. Namque ex eo, quod quis, solus licet, jus
 quod-

Possessio
 simplex
 possessio-
 nem juris
 prohibendi
 non com-
 prendit.

quoddam exercuerit, nihil aliud consequitur, quam quod in possessione, vel quasi, juris affirmativi, ne utique vero in possessione, vel quasi, juris prohibendi, ut ne idem exerceant alii, constitutus sit, cum omnino plures saepe eodem jure fruuntur. Qua de re hujuscemodi actus afferendi probandique sunt, ubi in antecedente prohibitione alter, quocum lis est, acquievit.

XVII.

Simplices
actus pos-
sessorii ex-
erciti suffi-
ciunt.

Sufficiunt autem in Possessorio Summarissimo actus possessorii simplices probati, quandoquidem de possessione qualificata in eo non disceptatur. Haec enim objectum Possessorii Ordinarii constituit DN. de BERGER in *Elect. Proc. Possess. tb. 2.* DN. WERNHER *Sel. Obs. For. P. 10. Obs. 461.* Atque hanc ob causam omne vitium, quod in hoc Possessorio actibus possessorii opponitur, in judicando negligitur, solumque factum spectatur, ORD. JUD. SAX. REC. in *Addit. §. 26.* gleichwie aber in diesem Process nicht darauf/ wer das beste Recht/ oder auch eine ältere und richtigere Possess vor sich hat/ sondern allein auf das Factum Possessionis zusehen/ quaestione, bona malave fide an quis possideat, in Possessorium ordinarium rejecta, PFANKUCH. de *Possess. Summar. L. 1. C. 6. n. 11.* DN. WERNHER *d. l. P. 2. Obs. 434.* B. STRYK. in *Uf. Modern. Pand. Tit. uti possidetis, §. 2.* ita tamen, ut actus, qui causam liti dedit, non attendatur, MEVIUS *P. II. Dec. 188. n. 3.* DN. WERNHER *P. 1. Obs. 114. num. 4.* nisi ita comparatus sit, ut ipsius adversarii factum approbativum in eo concurrat, MEVIUS *Part. VIII. Dec. 63.* DN. WERNHER *P. 2. Obs. 400.*

XIX.

XIIII.

Praeterea, si natura nostri Possessorii in se spectatur, An actus
 actus, quibus victoria in Possessorio Summarissimo possessorii
 constituitur, praecise annales non esse debent, quin annales esse
 imo, ut plures adducantur, necessum haud est, dum debeant ?
 circa praesentaneam, eamque simplicem, possessionem
 hocce versatur iudicium, DN. WERNHER P. I. Obs. 114.
 Nec refert, ab Advocatis, quum in Summario Posses-
 sorio Articulos, demonstrandae possessionis ergo, con-
 scribunt, hos plerumque sic formari: Wahr / daß
 Titius von 1. 2. 3. 4. 5. und mehr Jahren her auf dem
 libellirten Orthe gehütet? multa enim inutilia ac ab-
 undantia subinde a causarum Patronis in iudicio pro-
 poni solent, quibus tamen illico certum perpetuum-
 que jus constitui, nemo facile dixerit, DN. de BER-
 GER in *Elect. Proc. Possess. th. 22.* Ab hoc illustri Aucto-
 re refertur etiam, quod COLLEGIA LIPSIENSIA, re-
 fragantibus VITEMBERGENSIBUS, quibuscum consen-
 tiunt JENENSIA, in Summarissimo Possessorio annuam
 possessionem tam in Inhibitionibus emittendis, quam
 in simplici in factum actione, requirant. Quae senten-
 tia, quemadmodum fatente DN. de BERGER c. 1. ab ae-
 quitate se valde commendat, sic in SAXONIA ELE-
 CTORALI per *Ord. Jud. Sax. Rec. in Additam. §. 19.* Quid ho-
 die in Sa-
 xonia Ele-
 ctorali ju-
 ris?
 non solum est approbata, sed & praeterea constitu-
 tum, quod praeter annuam possessionem in servituti-
 bus discontinuis tres actus possessorios rite exercitos
 esse, demonstrari debeat, sic enim verba fluunt: Und
 derjenige / so einen oder mehrere ruhige Actus Possesso-
 rios,

C

rios,

rios, und in possessione Jurium & servitutum, und zwar bey servitutibus continuis, wenigstens eine jährige Possess, in discontinuis aber nebst solcher jährigen Possess wenigstens drey richtige Actus vor sich hat/ in Possessorio zuschützen.

XIX.

Quousque
ex actibus
antiquis
praesentanea posses-
sio colligi
possit?

Nec praecise opus est, ut testes de actibus recentissime exercitis testentur; licet enim negari nequeat, vincere eum in Possessorio Summarissimo, qui actum novissimum quiete exercuit, *arg. Cap. 19. X. de jure Patron. Cap. 3. X. de caus. poss. & propr. MEV. P. 3. Dec. 91.* nihil tamen secius & is victoriam reportare potest, cujus testes de actibus antiquis, & ante plures annos exercitis, non vero de recentioribus testimonium perhibent. Monentibus enim DN. WERNHER P. 2. *Obs. 433. B. HORN. Cl. 1. Resp. 2. & Cl. 9. Resp. 14. & 16.* ex actu possessorio antiquo possessio vel quasi praesentanea praesumitur, atque infertur, propterea, quod mutatio facti est, & quaevis res eodem in statu esse creditur. Id quod tamen eatenus solummodo locum habet, quatenus adversarius actus prohibitivos recentiores adducere & probare nequit, DN. WERNHER c. l. n. 3.

XX.

Exceptiones contra
personas
testium appositae regulariter
non attenduntur.

In hoc Summarissimo Possessorio adversus testium personas regulariter nullae opponuntur exceptiones, propterea, quod in eo leviores & imperfectae probationes, quae ad nudam judicis informationem faciunt, locum habent, Vid. ERN. COTHMAN. L. 1. *Resp. 20. n. 27. MODEST. PIST. Conf. 51.* Hinc testes minus idonei,
nec

nec omni exceptione majores, admittuntur, FARIN. de testibus. Qu. 62. Illat. 9. n. 159. POST. de Possess. Summar. Obs. 38. num. 19. B. STRYK. in Us. Mod. Pand. Tit. uti possidetis §. 2. in fin. quin imo testes singulares non repellendi, adeo, ut singularitas non obstat, sive sit ea *cumulativa*, ubi de diversis factis testimonium perhibetur, quorum alterum alteri opitulatur, sive sit *diversificativa*, & in circumstantiis loci ac temporis variet, idque vel ideo, partim quod, ut supra monuimus, in Possessorio Summario etiam unicus testis sufficiat, partim quod actus possessorii ita sunt comparati, ut reiterari possint, Conf. B. STRUV. S. J. C. Exerc. XXVIII. th. 48.

XXI.

A testimonio tamen in Summario Possessorio **ex-** Excluduntur illi, quorum figillatim interest, **ME-** tur illi, **VIUS**, P. III. Dec. 132. numer. 2. **DN. WERNHER** P. I. quorum **Obs. 115.** Proprii enim commodi spes judicii lumen figillatim **obfuscat**, docente sic **MASCARDO** de Probat. Concl. 1357. interest. **num. 58.** & fundamentum testimonii est fides, **Cap. 10. X. de V. S.** quae non obtinetur a teste, cujus iudicium ita pervertitur, **L. 4. ff. de testibus.** Atque hanc ob causam ejusmodi testes, qui ex suo testimonio commodum, vel incommodum, sperant, non aliter, quam si causa eorum sit propria, a testimonio prohibentur, **BALDUS** in **L. dictantibus**, n. 4. **C. de testam.** **CURTIUS** de **testibus**, Concl. 4. num. 14.

XXII.

Illustratur
exemplis.

His ex dictis fluit, nec parentes liberorum in causis
L. 6. & 9. C. de testibus §. 4. J. de inutil. stipulat. nec eos,
 qui litis sunt consortes, ad testimonium dicendum ad-
 mittendos esse, atque hoc vel ideo magis, quod pos-
 sessio est individua. Nec in causa universitatis singula
 membra, quoties negotium singulorum utilitatem &
 commodum respicit, ut si agatur de jure pascendi, pi-
 scandi, lignandi, & sic porro, tanquam testes admit-
 tuntur, *CARPZOV. P. III. Const. XVI. Def. 65. num. 6.* Ubi
 vero de commodo & utilitate universitatis, qua talis,
 non singulorum, controvertitur, membra universitatis
 a testimonio pro universitate minime repelluntur,
*CARPZ. d. l. num. 1. seqq. FELIN. in Cap. 6. X. de testibus
 num. 1. add. DN. de BERGER in Elect. Disc. Fur. Tit. XXII.
 Obs. 1. Not. 6. p. 719.* dum ne singuli in subsidium tenean-
 tur, *DN. WERNHER P. X. Obs. 369.* Quum vero tem-
 pore testimonii, & juramenti praestiti, non sunt ampli-
 us universitatis membra, ad testimonii dictionem o-
 mnino admitti possunt, licet hoc tempore, quo actus
 possessorii sunt exerciti, membra universitatis fuerint,
MÜLLER ad STRUV. Tit. de testibus p. 248. lit. β. Huic
 opinioni non obstat, quod tempore dicti testimonii
 iis, quibus sua vendiderunt praedia, & qui adhuc con-
 sortes litis sunt, ad evictionem teneantur. Namque
 evictio non praestatur, licet emtor in Possessorio Sum-
 marissimo succubuerit, propterea, quod in controver-
 siis juris, non facti, quo refertur possessio, evictioni sal-
 tem locus est, *Vid. DN. de BERGER in Resol. LAUTERB.*

p. 490.

p. 490. nisi, quod bene notandum, ab auctore praelentis quoque possessionis evictio promissa sit, DN. GRIEBNERI *Princip. Proc. Jud. L.1. C.7. S.2. §.2.* quo tamen non pertinet promissio venditoris, die Sache in Petitorio und Possessorio zugewähren/ quandoquidem hoc ad Possessorium Ordinarium facile referri potest, Vid. *Tract. nostra Synoptica Proc. Jud. L.1. C.7. Sect. 3. §. 3.* Et quid? si emtor, venditore, tanquam teste, usurus, remittat evictionis praestationem, his sine dubio ac disceptatione ad testimonium dicendum admitti potest, DN. WERNHER P.5. *Obf.187.*

XXIII.

Subditos in causis dominorum repellendos esse a testimonii dictione; judicant RULAND *de Commiss. P.1. Lib.5. C.12. num. 22.* STRUV. *Syntag. Jur. Civ. Exerc. 28. th. 39. cum in L. 6. ff. de testibus* inidonei dicantur testes, ii, quibus, ut testes sint, imperari potest, nec facile suspicionem evitet subditus & amoris, & timoris, ALBER de MALET *de Testibus P. XII. n. 47.* qua de causa haud raro in Praxi interrogatorium formari solet: **Ob nicht Zeuge des Producenten Unterthan / oder demselben mit Pflichten zugethan sey?** At enim vero rectius alii statuunt, tam pro dominis, quam contra dominos, tanquam testes, admittendos esse subditos, *arg. L. 5. C. de testibus*, ibique GOTHOFREDUS, MYNSINGER *Resp. 16. num. 13.* Quamvis enim non sint omni exceptione majores, FARIN. *de Testibus, Qu. 55. n. ult.* tamen admittendi sunt in Possessorio Summarissimo, quo in judicii genere, quemadmodum supra ostendimus, Quousque subditi in !
causis do-
minorum
admittan-
tur?

etiam minus idonei testes recipiuntur, eorumque de qualitate disceptare non est licitum.

XXIV.

An iuramentum
subjectionis
iis sit remittendum?

Dantur, qui subditos ad testimonium dicendum aliter admittere nolunt, quam si, qua hunc actum, subjectionis ac iurisjurandi vinculo, quo domino tenentur, sunt soluti, *CARPZOV. P. I. Const. XVI. Def. 64. & in Proc. Tit. 13. Art. 5. num. 102. seqq. BRUNNEM. in Proc. Civ. Cap. XX. num. 18. & ad L. 6. ff. de testibus, num. 1.* Comprobat etiam *DN. de BERGER in Dec. Summi Provocat. Senat. Elect. Sax. Dec. CCCCLIII.* a laudato Senatu in causa *Gottlobs von Werthern contra die Unterthanen zu Pulsnitz Meißnischer Seiten Consil. aestiv. 1672.* nec in Possessorio Summarissimo subditos, ut testes, aliter admissos fuisse, quam iurejurando a domino jurisdictionali ipsis remisso. Quamvis vero iurisjurandi remissio necessaria non sit, cum nullum iuramentum, sive sit fidelitatis, sive subjectionis, confessionem veritatis impediatur, si haec a iudice exigatur, propterea, quod iuramenta non sunt vincula iniquitatum, *Cap. 18. X. de iurejur. L. 5. §. 1. C. de Leg. qua de re REUBER de testibus, P. 2. num. 124. seqq.* relaxationem hujus iurisjurandi errore magis, quam iure introductam esse cenlet, & *MEIERUS in Colleg. Jur. Argentor. Tit. de testibus th. 10. num. 16.* subtilitatem supervacaneam eam vocat; Usu tamen, concordantibus variis Ordinationibus judicialibus, quos recenlet *MARTINI ad ORD. JUD. SAX. Tit. XX. §. 2. num. 206.* in Praxi est

est

est recepta, ut conscientiis eo magis quorundam consulatur, *Cap. 38. X. de testibus* B. HORNIUS *Class. XII. Resp. 89.* MAURIT. P. 1. *Consil. Kilon. 1. num. 20. & 21.* Confer. B. MENCKEN in *Tract. Synopt. Proc. Disp. 10. ad Tit. XX. §. 14.* ubi ostenditur, quo modo fiat haec relaxatio, & qua ratione morosi, ad relaxationem, compelli possint.

XXV.

Alia tamen quaestio est, utrum subditi, si adversus dominum testimonium perhibeant, cogi, ut faciant illud, possint? Equidem, testimonii dictionem pro munere publico habendam esse, negari nequit, *L. 1. ff. de testibus*, GAIL. *Lib. I. Obs. 100. numer. 2.* RULAND. de *Commis. P. 2. L. 2. C. 7. num. 4.* cum testimonia propterea excogitata sint, ut ne veritas, tanquam res sacratissima, Reique publicae perquam necessaria, occultetur, *Can. 2. Caus. 14. Qu. 2. Cap. 1. X. de testibus*, atque is, qui hanc occultat, peccatum mortale committere videatur, *Can. 80. Caus. 11. Qu. 3. Cap. 1. X. de testibus cog. Cap. 3. X. de Reg. Jur.* qua ex causa ad testimonia dicenda non raro inviti coguntur, *L. 22. ff. de testibus, L. 19. & Aub. sed etsi quis Cod. eod. Cap. 1. & t. t. X. de testibus cog.* ORD. JUD. SAX. *Tit. XXII.* verb. *soll man ihnen Zeugniß zugeben auferlegen.* Attamen, subditos invitos, ut dominum adversus testimonium dicant, cogi non posse, arg. *L. 4. ff. de testibus*, recte probat B. MENCKEN in *Synopt. Tract. Proc. Tit. XXII. §. 3. num. 7.* idque praejudicio confirmat,

Subditi an
cogi pos-
sint?

firmat, DN. WERNHER P. 9. Obs. 59. qui tamen *num. 5.*
casum excipit, si veritas aliter haberi nequeat, *Cap. ult.*
X. de test. cog.

XXVI.

De hoc Juris argumento fusius differere, nec res
nobis deest, nec voluntas. At enim vero cum
temporis habenda sit ratio, praesentique in negotio
pertractando compendiarum via sequenda, plura di-
cendi filum hic abrumpimus, alii occasione reservan-
tes, quae adhuc restant. Uti vero a nobis DEO
jam pro praestita gratia persolvuntur grates,
ita huic Dissertationi consti-
tuitur

FINIS.

